



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

7. de sacramento confirmationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

pompis diaboli renuntiabit, & sanam fidem tenebit, cuius tunc sacramentum recipit. Hac autem sponsione paruulus tenebitur, non sponsor: si tamen ut cautio impleatur (quantum in se est) operam dederit: quia exigitur à patrino, ut sit diligens circa eum pro quo spondit sollicitudo.

CAP. Decimum. *Cathecismus & exorcismus debent baptismum precedere.*

de instr. clericorū lib. de symbolo. de cōse. dist. 4. ante baptis.
R Aba. Ante baptismum cathecizandi, id est instruēdi, debet in homine prevenire officium: ut fidei cathecuminus accipiat radimentum, & sciat cui debitor fiat deinceps. Item Aug. Paruuli exufflantur & exorcizantur, ut ab eis pellatur potestas diaboli, ne iam cōtendant eos subvertere, ne baptismum consequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei efflatur, vel exorcizatur, id est adiuratur: sed diabolus, ut recedat ab homine. *204. l. 490. b.*

DE SACRAMENTO Confirmationis.

DISTINCT. Septimæ
 CAP. Primum.

Sacramentum Confirmationis certa forma & materia constans, solum episcopum ministrum habet.

GG iij

Nunc de sacramento Confirmationis addendum est, de cuius virtute quæri solet: forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit episcopus, cum baptizatos, in frontibus sacro signat chrismate. Hoc sacramentum ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur peractum: nec ab aliis quàm ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur & vacuum: nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. Virtus autem huius sacramenti est, donatio Spiritus sancti ad robur, qui in baptismo datus est ad remissionem. Vnde Urbanus: A summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum, ad prædicandum aliis illud quod ipse in baptismo consequutus est.

Confirmacionis effectus.

CAP. Secundum. Sacramentum Confirmationis licet inferioris gratie sit quàm baptismus. à ieiunis debet tantùm semel suscipi.

Confirmationis sacramentum dicitur esse maius baptismo: sed fortè non ob maiorem virtutem & vtilitatem quam

conferat: sed quia à dignioribus datur, & in
 digniore parte corporis, scil. in fronte: ^{vel} ~~231. a.~~ ~~230. b.~~
 quia maius augmentum virtutum præstat,
 licet baptismus plus valeat ad remissionem.
 vt dicit Rabanus. Nec debet iterari, sicut
 nec baptismus, nec ordo. Nulli enim sacra-
 mento facienda est iniuria, quod fieri puta-
 tur, quando non iterandum iteratur, vt dicit
 August. ^{contra} ^{Parme-} ^{nia li. 2} ^{cap. 12.}

DE SACRAMENTO EV-
 charistiæ, & primò quo ad eius
 figuras, institutionem, ma-
 teriam, & formam.

DISTINCT. Octauæ
 CAP. Primum.

*Eucharistiæ sacramentum multipliciter
 fuit præfiguratum.*

HOc sacramentum excellenter Eucha-
 ristia dicitur, id est bona gratia: quia
 in hoc sacramèto nō solum est augmē-
 tum virtutis & gratiæ, sed ille totus sumitur,
 qui est fons & origo totius gratiæ. Cuius fi-
 gura præcessit, quādo manna Deus pluit in
 deserto patribus, qui quotidiano cæli pa-
 scebantur alimento. Vnde rectè viati-
 cum appellatur; quia in via nos reficiens,
 in patriam vsque deducit. Sicut ergo in ma-
 ri rubro figura baptismi præcessit: ita in
 manna significatio dominici corporis. Hæc

GG iij

*Notio iij
 Eucharistia*

Figura

Viaticum